



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 68. Etenim ea, quæ sunt de me finem habent. v. 37.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

motibus, ut reputaretur esse inter quos pendebat, ut sic per alienam malitiam saltem infamis fieret, qui ex sese iustissimus esset, sed nihil refugit humilis Iesus inter illos estimari pro quibus mori desiderabat.

**E**cce homo quomodo Dominus tuus Iesus Christus, cum sceleratis annumeratus est in terris, ut nos Angelorum gregibus iustis in celo annumeraremur. Obliterata est aliquam diu apud homines opinio nominis eius, ut nomina nostra aeternum ascriberentur in libro vitae, si ergo consideremus ignominiam Regis Angelorum non magno opere solliciti, esse debemus, quo loco nos habeat mundus. Ne pudeat nos pro Christo apud homines esse contemptos; quando ille coram inimicis suis tanto pudore est affectus.

§. 68. *Etenim ea, quae sunt de me finem habent. v. 37*

Quaecunque dicta, scripta, praenuntiata, figurata de me per vates, patriarchas, prophetas finem habent, id est vel completa sunt, vel iam paucis adhuc horis & diebus implebuntur, & sic testamentum meum Novum confirmabitur, & tunc executio testamenti meo dictatorum debet fieri, non ante, & cum mea mors & passio ad optimum sit ordinata, quia finis & bonum conuertuntur, & finis a Deo intentus non potest non esse optimus. idcirco modo dictata, de gladiis comparandis, etiam rebus Ecclesiasticis distrahis, ut Dei Ecclesiae & membris eius succurratur in grandis necessitatis casu, nolite mihi erronee adaptare, quasi pro me debeatis gladiis pugnare, ne capiat vel patiar ab inimicis.

**Q**uid nunc restat, bone Iesu, nisi ut laudem & benedicam tibi, quam libenter vitam tuam ponis pro me, ut nolis Apostolos tuos pugnare pro ea. Iustum est igitur, quod coronam gloriae adipiscaris, quam caelestis Pater dabit tibi in ipsa Exaltationis tuae die, nempe Resurrectionis cum omni potestate in caelo, & in terra, cui me potestati humiliter subiicio, & cum gaudio, deprecans ex hoc te Dominum meum, ne sinat me alterius unquam potestati subiacerem nisi propter te.

§. 69. *At illi dixerunt: Domine, Ecce duo gladii hic. v. 37.*

Interea dum praedicta commonitorie cum his qui non consurrexerant differit Dominus noster, hi qui subito exsurrexerant & impetu arma corripuerant extra caenaculum, eadem inferentes, dicunt Domine, ecce quod iussisti, implevimus, gladios accepimus, saluis etiam peris nostris & tunicis. Jam inbe quod vis, & videbis quod simus facturi pro te, prodeat, si quis